

www.e-rara.ch

Pars III

Plutarchi amatoriae narrationes

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Amatoria narrationes.



LIARTI, quæ vrbs est Bœotia, pu-
ella fuit pulcritudine eximia, nomi-
ne Aristoclea*, filia Theophanis. *Aristoclea.*
Hanc ambiuerunt Strato Orcho-
menius, & Callisthenes Alartius.
de his Strato cùm opulentior erat, *Strato.*

tum magis amore virginis victus. viderat enim eam
lauantem apud Lebadeam in fonte Hercynę, cani-
strum in sacrificio gestaturam Iouis regis. Callisthe-
nes tamen præferebatur: quòd etiam generis pro-
pinquitate puellam attingeret. Theophanes in hac
re animi dubius, vt qui Stratonem metueret opibus
ac nobilitate omnes pœnè Bœotos superâtem, rem
voluit Trophonio diiudicandam permittere. Stra-
to, cui virginis famuli persuassissent, eam magis ad i-
psam inclinare, ipsam puellam voluit optione solu-
ta deligere vtrum vellet. Filia in omnium conspectu
interrogata, Callisthenem prætulit. Statim præ se
tulit Strato, iniquo se animo hunc contemptum fer-
re. tamē duabus interpositis diebus convenit Theo-
phanem atque Callisthenem, petiitque, vt quando
nuptias ipsi numen aliquod inuidisset, tamen sibi cū
ipsis amiciciam paterentur esse integram. Hi non tã-
tum approbauerunt ipsius verba, sed etiam ad festi-
uitatem nuptiarum invitauerunt hominem. Strato
sociorum caterua subornata, multisq; famulorū suo-
rum submissis qui sparsim apud istos abderentur, in
insidiis latuit: dum virgo ad fontem Cissoëssam (e-
deraceum diceres) maiorum more descendens pro-
telæa (quasi initiatiua nuptiarum sacra) faceret. Ibi
concursum ex insidiis factum eā corripuerunt, ipso vir-
ginem tenente Stratone. Ab altera parte Callisthe-
nes cum suis manum iniecit (quòd cogitatu faci-
le est:) puella inter eam concertationem non ob-
seruantibus qui hac illac raptabant periit. Callisthe-

nes subitò amissus fuit, neque dicere quisquam potuit quid ei accidisset: siue mortem sibi ipse consciuit, siue exsulij causa Bœotiam deferuit. Strato palam super virgine seipsum iugulauit.

II.
Phido.
Melissus.
Actæon.
Archias.

PHIDO quidam Argiuus, cum hoc moliretur, quâ patria ipsius in alias omnes Peloponnesi ciuitates imperium obtineret: primùm insidias tetendit Corinthiis. Itaque misit, qui ab iis peterent adolescentes cros, vigore & fortitudine præstantes: iique hos miserunt, duce Dexandro. In animo habebat Phido istos per fraudem opprimere, ut Corinthum viribus deminutâ eò facilius occuparet, opportunissimam eam munitionem totius Peloponnesi futuram: & rem cum quibusdam sociis suis communicauit, inter quos erat Abro. Hic Dexandro, hospitio ipsius utenti, rem aperuit. Sic Phlasijs isti ante tempus opprimendis ipsis constitutum, Corinthum euaserunt. Phido autem magno studio inquirebat quis consilium hoc ipsius prodidisset. Ideò sibi metuens Abro, Corinthum profugit, assumpta vxore & seruis, inque pago quodam Corinthiaco confedit, cui nomen erat Melissus. Ibi sibi filium natum, à loco Melissum dixit. Huius ergo Melissi F. Actæon formæ venustate & pudicitia omnes suos æquales superauit: amatusque est à plurimis, maxime Archia, qui genus ab Heraclidis ducens, opibus & potentia reliquis anteibat Corinthiis. Is cum Actæoni non persuaderet ut sibi se daret, vi rapere puerum aggressus, comesatum venit ad Melissi domum, amicorum & seruorum turba stipatus. reluctantibus autem patre & amicis, ac vicinis quoque accurrentibus, & eripere puerum nitentibus: Actæon dum utraq; pars ad se eum trahit, interit. Archias cum suis abeunt. Melissus cadauer filij in Corinthiorum forum cum attulisset, atque ostentasset & à flagitij autoribus ut pœnæ exigeretur petiisset: à magistratu nihil aliud quam quod est eius miseritum abstulit. Re ergo infe

ſta digreſſus, Iſthmicum conventum exſpectauit. ibi conſenſa Neptuni ara, Bacchiadas infectatus ver-
bis, patriſque ſui Abronis beneficio commemorato,
deos comprecatus de ſaxis ſeſe proiecit. Paulo poſt
Corinthios ſiccitas & peſtis inuaſerunt. cūmq; con-
ſuluiſſent deliberatione mali oraculum, miſſo ad eā
rem ipſo Archia: reſpondit deus, iram eſſe Neptu-
ni, non ceſſaturam, donec Actæonis mortem vlcifce-
rentur. Hoc vbi audiuit Archias, vltro ſibi exſulium
à Corintho indixit, & in Siciliam nauigauit, ac Sy-
racuſas cecidit. ibi cū duas filias genuiſſet, Or-
tygiam & Syracuſam, per fraudem à Telepho ne-
catus eſt. quo abuſus ad ſœdam fuerat libidinē, & qui
nauis præfectus vnā in Siciliam nauigauerat.

PAUPER quidam homo, nomine Scedaſus, Leu-
ctris habitauit: qui eſt Theſpienſis regionis exigui
vicus. Filia huic fuerunt duæ, Hippo & Miletia: ab
aliis Theano & Euexippa nominantur. Ipſe Sceda-
ſus vir erat bonus, & hoſpitalis: quanquam tenui
fortuna. Ergo ad ſe venientes duos Spartanos iuue-
nes, comiter hoſpitio excepit. qui amore puellarum
correpti, audere tamen aliquid bonitate Scedaſi fue-
runt prohibiti. Poſtridie ad Pythium oraculū, quō
iter inſtituerant, proſecti ſunt. cūque deum de iis
quæ ſtatuerant conſuluiſſent, rurſum per Bœotiam
itinere factō in Scedaſi domo diuerterunt. Aberat
tum Leuctris Scedaſus. eius filia, ſicut conſueuerāt,
hoſpites exceperunt. ij ſolas naſti puellas, per vim
vitiauerunt. cūmq; eas viderent hanc contumeliam
iniquiſſimē ferre, interfectas in puteum quendam
abiecerunt, itaq; diſceſſerūt. Domum reuerſus Sce-
daſus, filias nuſquam videns, omnia alia quæ relique-
rat ſalua inueniens, expedire ſe ex hac re nequibat.
tandem cane muſſitātē & ſubinde ad ipſum adcur-
rente, atq; ab ipſo ad puteum redeunte, id quod res
erat ſuſpicatus, inventa ibi filiarum cadauera exhau-
ſit. cūmq; è vicinis cognouiſſet, viſos pridie fuiſſe in

III.

*Scedaſus A-
riſtodemus.
Leuctrica
calamitas
Spartano-
rum.*

domum ipsius intrantes Lacedæmonios eos, quibus etiam pridem hospitium dedisset: coniecit hoc ipsorum esse facinus. quod tunc etiam perpetuò puellas laudassent, beatosq; prædicassent, quibus ea nupturæ essent. Ergo Spartam contendit, Ephoris rem significaturus. Cùm in Argolicam pervenisset, nocte ingruente in cauponam quandam divertit. Eodem tum venit etiam quidam senex, Orei Hestiatidis in Eubœa ciuis. Hic cùm ingemuisset, diraq; Lacedæmoniis esset imprecatus: Scedafus hoc audiens, quæsiuit quidnam mali à Spartanis accepisset. Tum senex ita rem narrauit. Sum, inquit, Spartanorū subditus. sed missus ab eis Aristodemus qui Oreum gubernaret (harmostam illi vocāt) crudeliter admodū ac nefariè egit. Nam amore filij mei captus, cùm ei persuadere vitium nequireret, vim inferre aggressus est, eumq; è palæstra abripere. resistente aut pædotri ba, & multis adolescentibus ad opem filio ferendam accurrentibus: tunc quidē discessit. posttridie autē triremi instructa filium illū meum arreptum in vltiore continentē traiecit: ibiq; libidini ipsius reluctantem cùm iugulasset, Oreum reversus cōuiuium celebrauit. Ego, qui maturè quid actum esset rescuiissem, corpus filij humaui: Spartamq; profectus, rem ad Ephoros retuli. sed illi facinoris eius nullam habuerūt rationē. Hæc narratio Scedasi animo mœsticiam attulit, supicanti suam quoq; causam Spartanis curæ non futurā. suam interim calamitatem seorsim hospiti narrauit. is ei hoc consilij dedit, vt neuti quam appellaret Ephoros: sed in Bœotiam reversus, filiabus sepulcrum cōderet. Scedafus nō obtemperauit: sed Spartā profectus rē ad Ephoros detulit. iisq; animum nō aduertentibus, ad reges accessit: atq; ab his digressus quem vis populariū accedens, suā miseriam deplorauit. Tandē cùm nihil ageret, per mediā discurret vrbem, manúsq; ad Solem intendēs, ac rursum terram iis feriens, evocauit Furias, ac sibi deniq; mortem

mortem consciuit. Verùm enimverò postea pœnas *Scelerum*
luerunt Lacedæmonij. Cùm enim in omnes Græcos *impunitas*
imperium occupauissent, & vrbibus præsidia impo- *punita.*
fuissent : primùm apud suos collocatum præsidium
Epaminondas Thebanus interfecit. deinde cùm ea
de causa Lacedæmonij bellum intulissent : occurre-
rūt ad Leuctra Thebani, moti omine loci. nam & an-
tè ibi fuerunt liberati : quo tēpore Amphictyon ex-
torris à Sthenelo factus Thebas venit : eosq; inue-
niens Chalcidensibus stipendiarios, interfecto rege
Euboënsium Chalcodonte, à tributo absoluit. Eve-
nit aut, vt omnino succumberent in prælio Lacedæ-
monij apud ipsum filiarum Scedasi monumentum.
Traditum est ante illum conflictum, Pelopidæ vni
de ductoribus Thebani exercitus, ob quædam ostē-
ta quæ ipsi non admodum viderentur prospera, de
auspicum sententiis perturbato : in somnis adstitisse
Scedasum, hortantē vt bono esset animo. nam La-
cedæmonios eò ad Leuctra venire, vt Scedaso eiūs-
que filiabus pœnas pendāt. ac iussisse, vt ea die quæ
pugnam esset antegressura, pullum equinum album
ad virginum sepulcrum immolaret. Pelopidam, ad-
huc Lacedæmoniis apud Tegeā castra habentibus,
misisse qui de eo sepulcro explorarent. cumq; rē ita
habere ex eius loci incolis accepisset, cōfirmato ani-
mo exercitum in aciem produxisse, victoriæque esse
potitum.

PHOCVS Bæotius erat, Glisante vrbe natus. Ha- *IV.*
buit is filiam Callirhoën pulcritudine, iuxtaq; pud- *Phocus.*
icia præstantem. Huius coniugiū expetebant xxx *Callirhoë.*
iuuenes è tota Bæotica iuuentute nobilissimi. Pho- *Hippotæ.*
cus cùm alias ex aliis dilationes nuptiarum fecisset,
à vi sibi metuens : tandē illis vrgentibus, postulauit
vt Apollini Pythio iudicium sponsi filiæ deligendi
permitterent. Illi indignè ferentes hâc eius oratio-
nem, facto impetu hominem interfecerunt. Virgo in
eo tumultu effugit, ac per regionem istam se prori-

puuit, insequentib. ipsam iuuenib. cùm aut incidisset in rusticos frumentum in horreo componentes, ab iis seruata est. occultauerūt enim eam in frumento: itaq; ij qui insequabantur transuecti sunt cursu. Sic seruata, prestolata est tempus solennis omniū Bæo-⁵ torum conuentus, quæ Pambæotia vocantur. quod vbi appulit, Coroneam profecta supplex confedit in ara Itoniæ Mineruæ, ac de scelere procorum cōque-
sta est nomine & patria singulorum indicatis. Misera-
ti puellā Bæoti, succensuerunt procis. Hi eo cōper-¹⁰ to, Orchomenum confugerunt: exclusiq; ab oppidanis, Hippotas cōtenderunt, quod est oppidulum ad Heliconem inter Thebas & Coroneā sitū. ibi ergo fuerūt recepti. Miserūt deinde Thebani, qui de-
di percussores Phoci iuberēt. cūmq; nō dederentur, ¹⁵ expeditionē in Hippotas vnā cum aliis Bæotis fecerunt, duce Phædo tum Thebanorum prætore. ob-
fessoq; oppidulo, quod munitū erat, siti hostes in potestate redegerunt. Proinde cōpræhensos homicidas lapidib. obruerunt: reliquos Hippotenses in ser-
uitutē abduxerunt, murisq; & domib. destructis, agrum inter Thebanos & Coronenses diuiserunt. Ea nocte, quæ Hippotarum excidiū præcessit, vocē ex Helicone crebrò auditā tradunt dicentis, Adsum: &
procos xxx intellexisse eam Phoci esse vocem. Qua
autem die lapidib. sunt obruti, monumentum senis Phoci Glifante positum, crocum stillasse. Phædo etiam à pugna reuerso nuncium allatum de nata ipsi filiola: cui omnis gratia Nicostratæ nomen fecerit.

V.
Alcippus.
Damocrita

ALCIPPVS Lacedæmonius ex vxore Damocri-³ ta duas filias suscepit. Is cū optimē cōsuleret reip. rēmq; ex eius vsu gereret, ab adversæ factionis hominibus per inuidiā apud Ephoros delatus fuit, iisq; persuasum mendaci oratione, Alcippum leges con-
vellere instituisse. Iussus itaq; solum vertere, Sparta abiit. Vxorem aut cum filiabus sequi maritū volentē magistratus retinuit: publicatis insuper Alcippi bonis,

bonis, ne dos esset filiabus. Cùm verò nihilominus
essent qui eas ob patris virtutem ambirent: inimici
edictum de non ambiendis eis impetrauerunt. hoc
causâ prætendentes, Damocritam sæpenumerò op-
tauisse vt quâprimùm filiæ ipsius filios pararent, vl-
tores paternæ iniuriæ futuros. Ita vndequaq; circû-
scripta Damocrita, publicam expectauit solennita-
tem, qua de more mulieres vnâ cùm virginibus, do-
mesticis, & infantibus conveniebant: matronæ autē
procerum seorsim in androne seu conclauī quodam
noctem festiuam ducebant. Tum gladio succincta,
vnâ cum filiabus in templum se cōtulit, obseruauit-
que id tempus, quo vniuersæ in androne mysteria
peragebant. Ibi aditibus occlusis, multa ad fores li-
gna congescit, quæ fuerant ad eius festiuitatis sacri-
ficium comparata: ignemq; immisit. Viris autem ad
restituendum incendium accurrentibus, Damo-
crita filias, seque super eas iugulauit. Lacedæmonij
cùm nō haberent in quem desæuirent, cadauera Da-
mocritæ & filiarum extra fines proiecerunt. Ob
quod facinus irato deo, magnum illum terræ motū
Lacedæmoniis immissum fuisse narrant.

PLVTARCHI

Quæstiones naturales.



QVid causâ est, quòd arbores aqua
marina nō aluntur? An eadem est,
ob quam terrestria animalia nō a-
lit marina aqua? nam Plato, Anaxa-
goras, & Democritus putant, plan-
tas animalia esse terrestria. Non e-

I.
Aqua ma-
rina.

nim quia aqua marina alimēto est vt piscibus, ita etiā
stirpib. marinis: sic etiā terrestres plantas animaliaq;
nutriet. cùm neq; penetrare possit ob crassiciem suā
radices, neq; sursum efferri ob sui grauitatem. Gra-